

C E N S U R A

ORDINARI II.

Nusquam erratur periculosius, quàm in rebus
Theologicis. Sed & nulla scientia certiores
regulas, quas sequatur, habet. Benedictus Deus
qui ultimis hisce sæculis, cum multiplicantur er-
rores, nova nobis Remedia largitur, dum per
certarum Propositionum damnationem innotes-
cunt scopuli, ne naufragium faciamus. Quare non
Pœnitendam operam navavit hujus Author Libri
cui titulus, *Veritas in Medio* &c. qui dum pro
scopo habet, ad digitum monstrare in Antecessum
damnatos à SS. Augustino, & Thoma novitios
errores, unà manifestat, in tenebris ambulare
eos, qui bina hæc Ecclesiæ lumina non sequun-
tur, ut oportet. Publicam proindè lucem meretur.
Cæterùm generaliter notatum velim, dum Librum
aliquem edi posse censeo, non ideò semper omnia
me ejus adoptare sensa. Dum Roma non condem-
nat, nec ego tantillus condemnabo. Datum Ant-
verpiæ 12. Februarii 1715.

FRANCISCUS GOOS

in Universitate Lovaniensi S. T.

& J. U. Licentiatus, Canonicus

Grad. & Librorum Censor,